GULIELMO A VONICO NOBILISSIMO ADOLESCENTI INTEGRITATE ANIMI ET MODESTIS...

Girolamo Bologni, Gaspare medico di Treviso Ghirlanda



GVLIELMO . A . VONICO

NOBILISSIMO . ADOLESCENTI

INTEGRITATE . ANIMI . ET . MODESTIS . MORIBVS

INTER . AEQVALES . SPECTATO

ELISABETHAM . GALVANIAM

LECTISSIMAM . VIRGINEM

AVSPICATO . CONNVBIO . SIBI . ADIVNGENTI

CASPAR . GHIRLANDA

SANITATI . TVENDAE . IN . PROVINCIA . TARV . PRAEFECTVS

QVI . EQVITI . HIERONYMO . PATRI . NVPTIAS

PROPRIIS . VT . POTVIT . SCRIPTIS . GRATVLATVS . EST

NVNC . IN . TANTO . PVBLICAE . SALVTIS . INCOMMODO

COMMISSI . MVNERIS . CVRIS . DISTENTVS

NONNVLLA . HIERONYMI . BONONII . CIVIS . TARV

ET . POETAE . SAEC . XV . CLARISSIMI

SELECTA . CARMINA

FAVSTA . CVNCTA . OMINATVS . LAETITIAE . ET . OBSERVANTIAE . ERGO

DICABAT . VIII . CAL . AVG . A . MDCCCXXXVI



De versu hendecasyllabo phaleucio.

Spondeum dato, dactylum, trochaeos,
Promptos hendecasyllabos habebo,
Brumali ut faciam die ducentos.
Vobis attamen utitur Catullus
Spondei vice, Jambe, vel Trochaee,
Facundus docet ut Terentianus,
Et chartis legere est Catullianis.
Si qua audacia me sinat locare
Prima sede trochaeon, aut iambon,
Ætas quos nova protinus fugavit,
Ausim scribere centies ducentos
Angusti minima die Decembris.
Compescenda igitur metro licenti
Indulgentia saeculi vetusti:
Res dignas facit una difficultas.

Cornelio Vitellio, Joannis Mocenici Venetiarum Ducis inclyti familiari, Tydeum Casellium amicum singularem commendat.

Inter praecipuos prior sodales,
Jucundos, hilares, facetiores,
Aspersos salibus, jocis refertos,
Urbanos, faciles, probos, disertos
Comes, unanimesque, simplicesque,
Horis omnibus elegantiores,
Horis omnibus obsequentiores,
Mansuetos, dociles, fideliores,
Prudentes quoque, callidos, sagaces,
Arcanos pariter, graves, severos,
Corneli, prior est mihi sodalis
Tydeus, est prior is mihi sodalis.
Annis, mensibus, et diebus, horis
Una viximus, et domi forisque.
Nec quidquam mihi contigit sinistri,
Quod non Tydea laeserit sodalem;
Nec quicquam mihi contigit secundi,
Quod non Tydea juverit sodalem.
Nil illum grave pressit, aut molestum,
Quin valde fuerit mihi molestum:
Nil illum bene juvit aut venuste,
Quin valde fuerit mihi venustum.
Votum, gaudia, spes, timor, voluptas,

Irae, tristities, labor, quiesque
Ambobus pariter fuere semper.
O quot tristia, quot voluptuosa
Dulci pertulimus jugo coacti!
Quod si tempora laeta computaris
Infelicibus, haereas, nec ausis
Quis major numerus satis docere.
Nigros invenies quot heu lapillos,
Albos invenies quot o lapillos!
Nunc ergo miserum tibi sodalem
Commendant merito meae camaenae,
Corneli probe, docte, honeste, prudens,
Inter praecipuos locande amicos,
Dudum vix mihi note, jamque amate
Supra quam mage quispiam putarit;
Fraterna prope morte destitutum,
Amentem, attonitum, mori paratum,
Tanquam fulmine saucium trisulco
Commendes domino, duci, patrono,
Cui servis domino, duci, patrono,
Qui te diligit, aestimat, fovetque.
Tydeus officiisque, muniisque
Fratris constituatur in perempti.
Centum quamlibet opprimant maligni,
Unus porrige dexteram, resurget.

Ad Marcum Oldovinum Medicum.

Quo sit coquenda, condienda vel modo,
Marce Oldovine, caro ferina quaelibet,
Ursus, lepus, aper, dama, cervus, caprea,
Donatus abs te suasit ut lepus mihi,
Senariis, attende, paucis eloquar.
Nigri catino funde cantharum meri,
Recentis aequa repleat quem pars aquae,
Carnes ibidem, pelle detracta, ablue;
Lotura quae demissa per setaceum,
Quantum requirit usus addito sale,
Statim lebeti deditas carnes coquat,
Patinis repone dividens coctas suis.
Bucella panis interim quamplurima
In crate prunis torreatur ferrea,
Epoto aceto facta quae mollissima
Cum delicatis conteratur passulis.
Perutile est et ipsius jecur ferae,
Cruorque, dum sit forte servatus tibi,
Cum jure quod erit, carne decocta, super,
Bucellae aceto quodque non absorpserint.
Addes deinde defruti parum, aut sapae,
Demitte textis mixta setis omnia,
Dictum est quod uno jam semel vocabulo.
His ita peractis, adde cinnamum, piper,
Suavemque odori pulverem chariofili,
Agitata saepe cochleari subditis

Per semihoram bulliant carbonibus,
Seu cum suillo frusta lardo frixeris,
Stomachus omitti quod tamen jubet meus.
Patinas paratas condies sicut voles.
Hoc Roma merito ac helluones aulici,
Isthaec honestae dum voluptatis docet
Nulli magister invidens Apicio,
Ut parva suasit nominis distantia,
Ipsi Platoni praetulerunt Platinam (1).

Ætas praeceps.

Primas quam cito rettulit kalendas
Janus praecipitem remensus annum!
Quam cursu properans nimis citato
Bissenos agit hinc et inde menses!
En Florae subitam rosam merenti,
En flavam Cereri damus coronam:
En dulci fluitant lacus Lyaeo,
En omnes rigido gelu laborant!
Ver, autumnus, hyems, idemque messis,
Ut Tybris rapidum fluunt in aequor.
At tu, quandoquidem statutus ordo
Hic est temporibus, ruuntque fata,
Laeto, Jane pater, colende vultu,
Saltem quotquot erunt beatiores
Certatim refer annuas kalendas.

(1) Ad Platinae librum de culina et dapibus disserentem spectat Poetae lusus: qui etiam liber *De honesta voluptate* inscribitur.

Ad Joannem Aurelium Augurellum, et Antonium Vonicam.

Aureli pater, et Vonica fili,
Ambo praecipui mei sodales,
Quicum vivere suetus usque, et usque,
Suetus discere, colloqui, jocari:
Postquam Feltria vos tenet molesta,
In desiderio relinquor acri:
Hoc uno mihi scilicet molesta,
Tales alliciens viros quod ad se,
Jucunda simul atque fructuosa
Consuetudine facit carere.
Quod solum modo munus est relictum,
Absentes regione Tarvisina,
Paucis hendecasyllabis saluto.
Ter salvete, quaterque centiesque,
Optatissima corda, milliesque,
Dulces, unanimes mei sodales.

Ægritudinis suae taedia.

Quod me continui premant dolores,
Ut non ire possim, sedere, stare,
Ut potu capiar, ciboque nullo,
Dulci nec juver omnium sopore,
Communis medicina quae laborum est,
Magnum quis merito malum putarit.

Sunt multo quoque duriora quaedam,
Quae me discruciant magis moleste.
Nugae per fora, per vias frequentes:
Salvus sis, Hieronyme, o miselle.
Signatam faciem notis pudendis,
Quaeso, cur habeas et unde, prodi.
Nocturnus dolor an diurnus angat
Afflictos mage poplites, lacertos.
Quid mussas? age, pande quidquid hoc est:
Evades cito spem bonam resume,
Aurem dum mihi praebeas amicam.
Unguentum cape, quo meus colonus
Toto corpore se quater perunxit;
Firmis nunc arat, ut prius, lacertis.
Praesens, eja age, munus experire
Liber quatriduo brevi futurus.
Diversas alii docent medelas
Ex auctoribus optimis probatas,
Lingua quisque suam strepente laudans,
Nec cedunt stolidi sibi vicissim:
His quae taedia comparentur ulla?

Ad Joannem Aurelium Augurellum.

Nusquam abs te redeo, quod est frequenter,
Quin fiam melior peritiorque:
Doctum quin aliquem bonum novumque
Ignotum mihi viderim libellum.

290

Ut multos taceam pereruditos,
Unum nosse sat est Terentianum
Doctum Juppiter! et laboriosum;
Dura in materie tamen disertum,
Seu scribat Veneres Cupidinesque,
Heroum solitas, Deumve laudes.
Debebar tibi jam, sed aucta summa est
Supremum ad cumulum, quod obligaris,
Aureli probe, docte, honeste, prudens,
Ostenso mihi te Terentiano.

pes futurae quandoque melioris fortunae.

Non semper tumidae, furente coro,
Insanum rapiunt fretum procellae:
Nutans, remige nil juvante, lato
Non semper fluitat mari carina.
Fervens Adria si decem diebus
Æstus indomitis ciet sub undis,
Parcentes nihil improbo labori
Nautas undecimus sequensve Phoebus
Tutos litoreae dabit quieti:
Quare fors inimica nil timenti
Esto nubila, ceu diu fuisti,
Sperabo mihi te tamen serenam:
Spes haec funere defutura solo est.

Ad Petrum Joannem Flaminium Vivum.

Quales das mihi, Flamini, frequenter
Versus, reddere si modo ipse possem,
Quamprimum vice redderem libenti.
Sed tu promptior eloquentiorque,
Securus magis et magis quietus
Ornatos facis et facis disertos
Mixtos hendecasyllabis iambos.
Me curae inde trahunt et hinc forenses,
Est quidquid super a domo regenda.
Turbant protinus improbi clientes
Ut prorsus nihil otii supersit.
Herbam do tibi victus ergo, meque,
Per Phoebum rogo, per novem sorores,
Dones versibus optimis vel ultro
Seu nullos dabo, sive ineruditos.
Par est ingenio, eruditione,
Et quem pieria quiete vincis,
Hac vincas quoque liberalitate.

In Mathonem, qui Paulam patris legatariam veneno sustulit.

Solvebas, Matho, vicies in anno
Viventi, patre sic jubente, Paulae
Legatum, grave quisque quod putabat.
Coenavit simul ac vocata apud te,

Quamprimum periit die sequenti.
Legatum grave quis putarit istud,
Solvisti, Matho, coenula quod una?

Ad Frontonem.

Cur abiecta mihi stola sit, quam ferre solebam,
Fronto, petis: dic tu, qua ratione feras.

Ad Bartholomaeum Livianum Ductorem inclytum.

Raetus in Ausonias hostis clam repserat oras,
In socios veneti nominis arma movens.
Ut sumus insueti diuturna per otia bellis,
Invasit primum torpida corda metus.
Nec mora, magnanimus venetum jubet arma senatus
Jussa capi, ultrices et properare manus.
Jura Cadubrinae repetens male dedita vallis
Dux acies primas Bartholomaeus agit.
Quis credat? venit, vidit, simul obvia vicit,
Pugnantum leto millia multa dedit.
Caede, fuga, modo Tauriscorum exercitus ingens
Jam nihil est: italis gloria prisca redit,
Nec tamen est multas victoria parta per horas,
Corpora majori sunt numerata mora.
Cum faciant alii, multo sed tempore, magna,
Maxima momento, Bartholomaee, facis.

Petri Nelsi Epitaphium.

Hectorea Nelsus dum certat belliger hasta,
Euganeo sternens obvia quaeque foro;
Passus letheum medicata casside somnum
Occidit: hoc tumulo fortia membra jacent.
Tarvisine, dolo fuit hoc tibi, Petre, cadendum:
Non poterat virtus tanta perire vigil.

De eodem.

Nelse, iaces victor valida insuperabilis hasta,
Petre, decus patriae nobile Tarvisii.
Qui dum Antenorea pulchrum certamen arena
Misces, jam merito munere dignus obis.
Quippe ubi diffudit violentos cassis odores,
Lethifer invasit languida membra sopor.
Praemia famosus vafri dolus abstulit hostis,
Gloria sed, populo judice, tota tua est.

In Philetum scelestissimum.

Sacra legis, damnas et scripta profana legentes:
Sacrilegus dici jure, Philete, potes.

In Sabellum malum poetam.

Versiculos horis facias quod mille duabus,
Mallem horis faceres mille, Sabelle, duos.

De intempestivo quodam.

Effugio, properas; et quonam, Hieronyme, solus
Tecum, ais? ibo comes, dum patiare, libens.
At nunc solus ero: Phoebus, doctaeque sorores
Fugerunt comites, te veniente, mihi.

In reliquias Opiterginas.

Haecne Opiterginae facies venerabilis urbis?
Auxilio, Caesar, jam fuit haec ne tibi?
Moenia barbaricis periere obnoxia flammis,
Diripuit fluxas Attila saevus opes.
Magnanimae legitur facinus memorabile navis,
De patrio superest parva ruina solo.
Æternae fiunt claris de civibus urbes:
Caetera mortali conditione cadunt.

Pila ferrea.

Massa pilae similis, vasti sed ponderis ingens,
Ferrea, jam non quod saxea nuper erat;
Pulveris impulsu flagrantis concita saevo
Rudera murorum quanta repente trudit!
Ictibus haud istis Babylonius ambitus obstet,
Pergama Neptuni non fabricata manu.
Fulmina non tantas agitent coelestia vires,
Ni manus excelsi torqueat illa Jovis.

TREVISO

DALLA TIPOGRAFIA ANDREOLA

1836.